



# EUTROPII <sup>(1)</sup>

## HISTORIA.

CUI

### PAULUS AQUILEGIENSIS

### DIACONUS

### ADDIDIT

ROGATU ALDEBERGÆ <sup>(2)</sup> BENEVENTANÆ DUCIS, DEINDE IDEM PAULUS EX  
 DIVERSIS AUCTORIBUS COLLIGENS A VALENTINIANI IMPERIO, USQUE  
 AD TEMPORA JUSTINIANI PERDUXIT: QUEM LANDULPHUS SAGAX  
 SEQUUTUS, PLURA ET IPSE EX DIVERSIS AUCTORIBUS COL-  
 LIGENS IN EADEM HISTORIA ADDIDIT, ET PERDUXIT  
 USQUE AD IMPERIUM LEONIS, IDEST ANNUM  
 DOMINICÆ INCARNATIONIS DCCCVI.  
 INDICIONE VII.

INCIPIT LIBER PRIMUS.



**P**rimus in Italia, ut quibusdam placet, regnavit Janus, deinde Saturnus, Jovem filium è Græcia fugiens in civitatem, quæ ex ejus nomine Saturnia dicta est, latuit: cujus ruinæ hæcenus cernuntur in finibus Tusciæ haud procul ab Urbe.

Hic Saturnus, quia in Italia latuit, ab ejus latera Latium appellata est. Ipse etenim adhuc rudes populos domos ædificare, terras incolere, plantare vineas docuit, atque humanis mo-

ribus vivere, cum antea semiferi glandium tantummodo alimentis vitam sustentarent, aut in speluncis, aut frondibus, virgultisque contextis casulis habitarent. Ipse etiam eis nummos æreos primus instituit. Pro quibus meritis ab *incolarum* <sup>(3)</sup> rustica multitudine deus appellatus est. Post hunc Picus <sup>(4)</sup> ejus filius, de quo fabulosè dicitur, quòd à quadam famosissima maga, Circe nomine, ob contemptum ejus amorem in avem sui nominis sit mutatus. Post hunc ejus filius Faunus, qui fuit pater Latini, cujus mater Carmentis Nicostrata creditur Latinas literas reperisse. Quibus regnantibus centum quinquaginta anni referuntur evoluti. Regnante tamen Latino, qui Latinam linguam correxit, & Latinos de suo nomine appellavit, Troja à Græcis capta est, cum apud Hebræos Labdon tertium sui principatus annum

<sup>(1)</sup> Codex Ambrosianus ita inscribitur: *Eutropii Breviarium Historia Romana.*  
<sup>(2)</sup> Aliter *Adalberga.*

<sup>(3)</sup> In A. & H. leg. *ab indociliis*, & russi. B. *ab indocili inc.*  
<sup>(4)</sup> Hæc verba usque ad illa. *Post hunc ejus filius Faunus*, desunt in M. S. Paulo Diacono Hersfeld.